



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 234. An Clerico licitum sit interesse executioni pœnæ mortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

An Judex vel Dominus sæcularis possit Clericum injustè venantem spoliare armis, avibus, canibus, videri potest *Diana* p. 1. t. 2. R. 10. & p. 3. t. 1. R. 28.

1378

Q. 233. Quid notandum sit de ludo respectu Clericorum. R. Clericis prohibetur lusus alearum, Cap. penult., de vita & honest. Cleric. aliisque locis apud *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 13. §. 5. : Nomine autem alearum intelliguntur omnes lusus fortunæ potius quàm industriæ : Et prohibetur consuetudo ludendi, non autem ludere unâ aut alterâ vice, *Salas, Mol. Rebel. Az. Castrop.* ; Imò consuetudinem ludendi, si non fiat ob lucrum sed recreationis causâ, excusant à mortali *Sa & Valent.*, quamvis contrarium teneant *Salas & Castrop.* suprâ : Putatque *Salas* prohibitionem horum lusuum non extendi ad Religiosos laicos, quia textus tantùm habet de Clericis, sed communis opinio cum *Nav. Suar. Valent. Castrop.* & alijs tenet oppositum.

1379

Q. 234. An Clerico licitum sit interesse executioni pœnæ mortis. R. Licitum est cum justa causa, v. g. si educat reum : è contrâ si sine justa causa adsit Sacerdos vel Religiosus, multi innuunt esse peccatum, attamen non esse mortale docent *Suar. Avila* aliique cum *Dicasst.* de irregul. d. 7. n. 653. ; imò si absit scandalum & otiosa curiositas, *Vgol. & Mol.* de just. T. 4. tr. 3. d. 8. n. 13. dicunt nequidem esse veniale, quia consuetudo nunc præscripsit contra Decretum, quod olim obligabat Monachos & Clericos, quando clausura & observantia eorum erat major. Quòd si adesset tanquam habens jurisdictionem temporalem, v. g. Judicis, Custodis &c., fieret irregularis, *Regin.* l. 30. t. 2. n. 134. Plura de ludis & spectaculis diximus l. 3. p. 2. à n. 1086.

Qui alia volet circa mores & conversationem Sacerdo-

cerdotum, legat *Branden* in Collect. ad Concord. post q. 12. Not. 10. & Tractatum *Tritemii* de Sacerdotum vita.

Q. 235. Quid sit privilegium Canonis & Fori, quod habere dicuntur Clerici. R. Privilegium Canonis est gratia & favor statui Clericali concessus, Canone si quis suadente, 26. causâ 17. q. 4., quo eximitur ipse & res ei adhærentes ab omni actione injuriosa exteriori, de quo dicitur l. 7., quando de percussione Clerici. Privilegium fori est favor, quo Clericus eximitur à jurisdictione & potestate seculari, quoad se & sua, de quo aliqua jam dicemus, & iterum postea à n. 1410., possuntque etiam videri dicta l. 1. n. 679.; sed præcipuè videndus *Delbene* de Immun. Eccles. c. 6. & 7., item *Dicast.* de cens. d. 3. dub. 57.

1380

Q. 236. Quid de immunitate Ecclesiastica sit notandum. R. Seqq.

1381

§. I. Certum est Clericos jure divino esse exemptos à jurisdictione laica, uti docent *Clemens Rom.* Ep. 1., *Dionysius Areop.* Ep. 8. ad Demoph., *Synodus Rom.* 4. sub *Symmacho* Can. 3., *Bonif. VIII* Cap. *quanquam*, de censibus in 6., *Ioannes VIII.* Can. *Si Imperator*, dist. 96., *Inn. IV.* Comment. in decret. de majorit. & obed., *Conc. Lateran.* sub *Leone X.* Sef. 9., *Trid.* Sef. 25. c. 20. de Ref., sumiturque ex *Matth.* 17. & 24., ubi Christus dicit filios regni, quo nomine seipsum & Apostolos ac successores Clericos tanquam familiares suos intelligit, à subjectione Laicorum liberos esse, prout explicat *S. Hieronym.* hoc loco, neque ullus verè Catholicus diffitetur. Vide dicenda n. 1410. & *Delbene* c. 1. d. 2. f. 1. & 6.

§. II. Clerici gaudent immunitate Ecclesiastica, uti habet *Trid.* supra, & magis constabit ex dicendis

1382